



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad Laelium. Vt spretis mortalibus ad aeterna aspiret. Ode XVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Rubros sanguine Belgico  
 Musæ Borbonidas ; non aliis velim ;  
 Obscœni fugiens lucri ,  
 Ornari potius carmina præmiis.

## AD LÆLIUM.

*Ut spretis mortalibus ad æterna aspiret.*

## ODE XVIII.

CUR vanis male credulum  
 Irretire animum pergis amoribus ,  
 Fortunæ toties fidem  
 Expertus nimium fallere lubricam ?  
 Tandem define vitreâ  
 Insanire Deâ : quam cupide simul  
 Amplexaberis insolens ,  
 Mœrebis laceras flebiliter manus .  
 Felix vulnere si tamen  
 Tantillo monitus , præcipiti caput  
 Fracturam tibi pondere  
 Mature fugias. Hesperio licet  
 Sublimis folio feras  
 In centum populos jura , nec unicus  
 Orbis te dominum colat ;  
 Læli degeneres : ni spatiösius  
 Regnare ambitio , & suæ  
 Par quæsiſſe decus certet origini.  
 Villæ culmina sordidæ  
 Mirari pudeat , quem socium Deus  
 Æterni vocat imperi ,  
 Et sperare jubet sidereas domos :

Quo non pauperies gravis,  
 Non furum insidiæ, flammave Cæsarum  
 Formidata palatiis,  
 Non Martis penetrat barbarici furor.  
 Sed castis opulentia  
 Florens deliciis, & bona faustitas,  
 Et pax lætitiae soror,  
 Mansurisque fruens gloria honoribus,  
 Et sincerus amor, chorum  
 Immortalem agitant non sine gratiis.  
 Hanc Læli pete regiam,  
 Oblitus tuguri cui miser incubas,  
 Et Divum propera genus,  
 Sceptrum deposito sumere sarculo.

## AD BERNARDUM PIGNIUM

CANONICUM ET ARCHIDIACONUM ROTHOMAGENSEM.

*Ut in Tolemenilianam villam, quo condixerat,  
 venire festinet.*

## ODE XIX.

**R**ITU te quoque patrio  
 Perjurum esse juvat? nec metuis datae  
 Ultores fidei Deos,  
 O caris nimium dure fodalibus?  
 Tandem desine tristium,  
 Quæ te angunt misere, sollicitudinum:  
 Arcu dum bonus aureo  
 Luces purpureas sol jaculatur; &  
 Rubram uvis religans comam,  
 October tepidis certat Aprilibus.

Y iiij